



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dispvt. CCXLIII. Quo pacto dæmones patiantur ab igne.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

tem spiritualis non afficitur loco. Ergo nullus locus est demonibus pœnalis.

2. Præterea. Peccatum hominis non est grauius, quam peccatum demonis: sed locus pœnalis hominis est infernus. Ergo multo magis demonis. Ergo non aer caliginosus.

*Lib. 3. super
Gen. c. 10. a
med. 10. 2.*

3. Præterea. Dæmones puniuntur pœna ignis. Sed in aere caliginoso non est ignis: ergo aer caliginosus non est locus pœnæ demonum.

Sed contra est, quod Aug. dicit 3. super Gen. ad lit. quod aer caliginosus est quasi carcer demonibus vsque ad tempus iudicii.

Respondeo dicendum, quod Angeli secundum suam naturam medij sunt inter Deum & homines. Habent autem hoc diuinæ prouidentiae ratio, quod inferiorum bonum per superiora procuratur. Bonum autem hominis dupliciter procuratur per diuinam prouidentiam, vno modo directe: dum scilicet aliquis inducitur ad bonum, & retrahitur à malo, & hoc decenter fit per Angelos bonos: alio modo indirecte, dum scilicet aliquis exercetur impugnatus per impugnationem contrarij. Et hanc procurationem boni humani conueniens fuit per malos Angelos fieri, ne totaliter post peccatum ab utilitate naturalis ordinis exciderent. Sic ergo demonibus duplex locus pœnalis debetur. Vnus quidem ratione suæ culpæ, & hic est infernus: alius autem ratione exercitationis humanæ, & sic debetur eis caliginosus aer. Procuratio autem salutis humanæ, protenditur vsque ad diem iudicii. Vnde & vsque tunc durat ministerium angelorum, & exercitatio demonum. Vnde & vsque tunc & boni angeli ad nos huc mittuntur, & dæmones in hoc aere caliginoso sunt ad nostram exercitium. Licet eorum aliqui etiam nunc in inferno sint ad torquendum eos, quos ad malum induxerunt, sicut & aliqui boni Angeli sunt cum animabus sanctis in cælo. Sed post diem iudicii omnes mali tam homines, quam Angeli in inferno erunt, boni vero in cælo.

Ad primum ergo dicendum, quod locus non est pœnalis angelo, aut animæ, sed quasi afficiens alterandæ naturam, quasi afficiens voluntatem contristando, dum angelus, vel anima apprehendit, sed esse in loco non conuenienti suæ voluntati.

Ad secundum dicendum, quod anima secundum ordinem naturæ non præfertur alteri animæ, sicut dæmones ordine naturæ præferuntur hominibus. Vnde non est similis ratio.

ARTIC. IV.

Ad tertium dicendum, quod aliqui dixerunt, vsque ad diem iudicii differri penam sensibilem, tam demonum, quam animarum, & similiter beatitudinem sanctorum differri vsque ad diem iudicii. Quod est erroneum & repugnans Apostoli sententiæ, qui dicit 2. Cor. 5. Si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluitur, domum habemus in cælo. Alij vero licet hoc non concedant de animabus. Sed melius est dicendum, quod idem iudicium sit de malis animabus & malis angelis: sicut idem iudicium est de bonis animabus & bonis angelis. Vnde dicendum est, quod sicut locus celestis pertinet ad gloriam angelorum tamen gloria eorum non minuitur, cum ad nos veniunt: quia considerant illum locum esse suum, eo modo quo dicimus honorem Episcopi non minui, dum actum non sedet in cathedra. Similiter dicendum est, quod dæmones, licet non actum alligantur gehennali igni, dum sunt in aere isto caliginoso: tamen ex hoc ipso quod sciunt illam alligationem sibi deberi, eorum pena non diminuitur. Vnde dicitur in quadam glossa Iacob. 3. quod portant secum ignem gehennæ, quo cumque vadant. Nec est contra hoc, quod rogauerunt Dominum, vt non mitteret eos in abyssum: vt dicitur Luc. 8. qui hoc petierunt reputantes sibi penam, si excluderentur à loco in quo possunt hominibus nocere. Vnde Matth. 8. dicitur, quod deprecabantur eum, ne expelleret eos extra regionem.

CONCLUSIO est, Quidam dæmones sunt in inferno, vt in loco pœnæ ipsi destinati: alij vero non sunt in aere caliginoso.

DISPVT. CCXLIII.

Quo pacto dæmones patiantur ab igne.

*Dæmones torqueri solum apprehensione apparent: nonnulli autem aut. cap. 1.
Dæmones torqueri in inferno sola apprehensione privationis desolati boni, alij existimant c. 2.
Dæmones ab igne cruciari per speciem aut cognitionem ab eo derivatam, nonnulli docuerunt c. 3.
Dæmones & animas separatas eodem modo ab igne torqueri, quo anime in corpore cruciantur, Henricus & Scotus putarunt c. 4.
Dæmonem pati ab igne per qualitatem ab igne derivatam recentiores affirmant c. 5.
Dæmones occulto quodam modo per alligacionem ab igne torqueri probabilior sententia est c. 6.*

Dæmones torqueri solum apprehensione apparentis mali, nonnulli autumant.

caripotest; quid mali dæmon ab igne re ipsa pati queat: forma autem sola cogitatione apprehensa non minus potest animam tristitia afficere, quam vera.

Hæc sententia à Theologis iure optimo rejicitur. Nam quamuis negare non possumus, formam sola cogitatione & imaginatione apprehensam non minus animum torquere, quam si vera esset: nihilominus duabus de causis in dæmonibus, id concedi non debet. Prior est, quia intellectus Angeli non potest ita deludi, ut possit apprehendere tanquam malum, aliquid, quod reuera non est: præsertim quod ita vehementer cruciet ipsum, sicut homines imaginatione quotidie decipiuntur. Nam quamuis intellectus Angeli apprehendere possit, ut possibile sit, quod impossibile est, & ita ei placeat: qua ratione diximus disp. 234 cap. 2. potuisse per carere appetitu æqualitatis Dei, & quamuis Angelus deludi possit ex prauo affectu, apprehensione mali, aut boni futuri, ut præ ed. di. pur. cap. 3. diximus: tamen ut crucietur tristitia: præsertim tam vehementer, apprehendere debet malum præsens non quomodocunque, sed cum aliqua opinione: hoc enim requiritur, ut afferat dolorem aut tristitiam sicut ad rationem etiam timoris: quare exultare debet, illud sibi aliqua ratione malum esse: hoc autem non potest in intellectum Angeli cadere: neque enim in rebus naturalibus decipi potest, nisi apprehendat Deum tanquam minitantem sibi, aliquid malum: quod non tam esset causa tristitiæ, quam timoris. Posterior ratio est: quia secundum hanc sententiam non satis sit Scripturis asserentibus, dæmones à vero igne torqueri. Qua etiam ratione Matthæi 23. dicitur ignis ille paratus diabolo, & Angelis eius, nempe ad cruciandum eos, & anima epulonis Lucæ 16. dicebat, *Quia crucior in hac flamma.* Similiter etiam iuxta hanc sententiam satisfieri non potest testimonijs Patrum, quibus inferius probabitur dæmones verè ab igne torqueri.

Ad testimonium Gregorij allatum pro hac sententia, respondeo, se satis explicuisse in eodem capite. Nam præter verba superius citata, quibus videbatur asserere, dæmones torqueri sola apprehensione apparentis mali, subiungit, *igne visibili ardor ac dolor inuisibilis trahitur, & per ignem corporeum mens incorporea etiam incorporea flamma cruciatur.* Quibus verbis quamuis Gregorius asserat cruciarum dæmonum in apprehensionem, sicut in causam, quæ cum sit spiritualis, dicitur etiam à Greg. ardor inuisibilis, & flamma incorporea: tamen sicut dicit flammam ab igne corporeo derivari, sic etiam docet apprehensionem spirituales ab ipso igne oriri, eamque flammam spirituales appellat quod multo clarius explicuit deinde his verbis, *Quamuis colligere ex dictis Evangelicis possumus, quia incendium anima non solum videndo, sed etiam experiendo patitur.* Quibus aperte docet, dæmonem non apparenti malo, sed malo quod reuera ipse experitur, cruciari: & ut inferius videbimus, Patres omnes in ipsam ignem & flammam tanquam in veram causam referunt dæmones cruciatum.

Dæmones aliquo tormenti genere cruciari, Catholicis indubitarum est. Quale v. sit hoc genus cruciatus, & doloris, ab S. holicis Doctoribus non parum controuertitur. Verum antequam singulorum sententias referamus, est in primis supponendum tanquam certum id, quod S. Th. in conclusionem art. docet, nempe esse locum infernum, in quo dæmones cruciantur, de quo hic non est ex professo differendum. Disputant autem de illo Alphonsus de Castro contra hereses verbo Inferni, & Sixtus Senensis lib. 5. Biblioth. sanctæ annotatione 141. in hoc autem loco dæmones plerique detinentur, tametsi multi etiam manserint in hoc aëre, vsque ad iudicij.

Deinde præmittendum est, ignem inferni esse corporeum, quæ sententia est communis omnium Scholasticorum in 4. d. 44. Scotus in 4. d. 50. q. 1. a. 1. & quamuis recentiores dicant, errorem esse, oppositum asserere; tamen non videtur id adhuc definitum expresse ab Ecclesia: imo cum Græci in Concilio Florentino assererent, ignem purgatorij non esse verum & corporeum ignem, in sess, ult. in definitione fidei, ubi multa contra ipsos definitur, nihil de igne purgatorij dicitur. Firmum tamen huius sententiæ fundamentum est in Scriptura, in qua sæpius vocatur ignis in quem destinantur damnati. Verba autem Scripturæ in proprium sensum explicanda sunt, quando sine absurdo aliquo id fieri potest. Disputat autem Chrysostomus in caput ult. libri 4. de fide Damasceni, an ignis inferni, & purgatorij sit eiusdem speciei cum nostro: de quo in hoc loco differendum non est.

His constitutis in prædicta controuersia prima sententia sit eorum, qui dicunt, dæmones torqueri cogitatione, sine apprehensione non alioquin contrarij, aut disconuenientis, quod re ipsa patiantur, sed apprehensione tantum apparentis mali, sicut homines in somnis ex sola imaginationis cogitatione vehementer tristi solent. Dicunt igitur dæmones quidem ab igne torqueri, non quod reuera ignis ipsis contrarius aut disconueniens sit: sed quod dæmones eum ut sibi disconuenientem apprehendant. Hæc fuit sententia Aulicæ 9. Metaphysicæ c. ult. ubi docet, animas separatas à corpore cogitare penam, quam in hac vita perpessus sunt, & ea imaginatione vehementer torqueri: consentire etiam videtur Albertus in 4. d. 44. art. 20. ad ult. idque probabile censet Bona. loco inferius allegando. Falso tamen pro hac opinione refertur Agidius: in alia enim ipse aperte fuit, ut inferius videbimus. Probari autem potest ex Greg. in 4. libro dialog. c. 29. ubi de spiritu, qui cruciatur in inferno, inquit, *Ignem namque eo ipso patitur, quod videtur, & quia cremari se aspiciat crematur.* Omnem igitur tristitiam & passionem ex sola apprehensione apparentis mali esse existimat. Nam si tristatur tantum, quia aspiciat, se cruciari: ergo non quia reuera cruciatur, & aliquid vere ab igne patitur, sed quia ita ignem apprehendit, ac si ab eo cremaretur. Ratione vero confirmari potest: quia hæc via multo facilius est ad explicandum cruciatum dæmonis. Vix enim intelligi, nedum expli-

Autem, *Annua 9. Metaphysicæ c. ult. ubi docet, animas separatas à corpore cogitare penam, quam in hac vita perpessus sunt, & ea imaginatione vehementer torqueri: consentire etiam videtur Albertus in 4. d. 44. art. 20. ad ult. idque probabile censet Bona. loco inferius allegando. Falso tamen pro hac opinione refertur Agidius: in alia enim ipse aperte fuit, ut inferius videbimus. Probari autem potest ex Greg. in 4. libro dialog. c. 29. ubi de spiritu, qui cruciatur in inferno, inquit, *Ignem namque eo ipso patitur, quod videtur, & quia cremari se aspiciat crematur.* Omnem igitur tristitiam & passionem ex sola apprehensione apparentis mali esse existimat. Nam si tristatur tantum, quia aspiciat, se cruciari: ergo non quia reuera cruciatur, & aliquid vere ab igne patitur, sed quia ita ignem apprehendit, ac si ab eo cremaretur. Ratione vero confirmari potest: quia hæc via multo facilius est ad explicandum cruciatum dæmonis. Vix enim intelligi, nedum expli-*

3. Greg. in 4. libro dialog. c. 29. ubi de spiritu, qui cruciatur in inferno, inquit, *Ignem namque eo ipso patitur, quod videtur, & quia cremari se aspiciat crematur.* Omnem igitur tristitiam & passionem ex sola apprehensione apparentis mali esse existimat. Nam si tristatur tantum, quia aspiciat, se cruciari: ergo non quia reuera cruciatur, & aliquid vere ab igne patitur, sed quia ita ignem apprehendit, ac si ab eo cremaretur. Ratione vero confirmari potest: quia hæc via multo facilius est ad explicandum cruciatum dæmonis. Vix enim intelligi, nedum expli-

CAPVT II.

Dæmones torqueri in inferno sola apprehensione priuationis desiderati boni alij existimant.

Secunda opinio sit eorum, qui affirmant, animas paratas, & dæmones in inferno torqueri quidem cogitatione alicuius mali, quod reuera patitur: sed non alterius, quam priuationis desiderati boni. Quare existimant, nullam aliam esse pœnam dæmonum, & animarum separatarum, quam pœnam damni, quæ in priuatione beatitudinis consistit, & pœnam sensus ortam ex consideratione illius. Huius sententiæ mentionem fecit Ricardus loco inferius allegando, & tribui solet Algazel. *Physic. cap. 5.* ubi de pœna animarum loquitur. In ea etiam fuisse videtur Ambrosius lib. 7. in Lucam cap. 14. prope finem, ubi postquam dixit, tenebras exteriores, quas patiuntur damnati, nihil aliud esse, quam esse sine Christo: subdit, Ergo nec corpora illorum stridor aliquis dentium: neque ignis aliquis perpetuus flammarum corporalium: neque vermis est corporalis; sed hæc ideo, quia sicut ex multa cruditate & febres nascuntur, & vermes, ita si quis non decoquat peccata sua velut quadam interposita sobrietate abstinence, sed miscendo peccata peccatis, tanquam crudelitatem quandam contrahat veterum, & recentium delictorum, igne aduretur proprio, & suis vermibus consumetur. Et paucis interpositis, ignis est quem generat malitia delictorum, vermis est & quod irrationabilia anima peccata mentem rei, sensu nique compungunt, & quedam excedunt viscera conscientia.

De hac opinione meminit Hieron. in cap. vii. Isaie explicans illa verba, Vermis eorum non morietur: ubi ita scribit, Ignis, qui non exstinguitur, a plebique conscientia accipitur peccatorum, quæ torquent in suppliciis constitutos, quare vitio suo atque peccato caruerint electorum bono, iuxta illud quod scribitur, versutus sum in miseria, dum corrigitur mihi spina. Quam sententiam non improbat Hieronymus, sed cum hac limitatione eam videtur admittere, ita duntaxat ut non negent præuicatorum, & dominum negantium æterna supplicia: quod dixit, propter errorem eorum, qui dicebant, pœnas inferni non futuras perpetuas. Pro eadem sententia videtur esse Isid. lib. 1. de summo bono, cap. decimo tertio, sententia prima, ubi ait, duplicem esse damnatorum pœnam in gehenna, Quorum & mentem vrit tristitia, & corpus flamma.

Demum Innocentius III. in libro 3. de Contemptu Mundi cap. 2. & 6. duo tantum genera pœnarum docet esse in inferno, vnum ex memoria peccatorum, vtrū nobis explicatum est: alterum ex igne, & hoc posterius tantum in corpora deriuari. Videtur igitur sentire, spiritus solum torqueri memoria suorum delictorum. Quam opinionem ex Scholasticis interpretari videtur Durandus in 4. distinctione 44. questione yndecima, cum inquit, ex memoria delictorum dæmones torqueri, & per accommodationem quandam dici posse ab igne cruciari: quia omnis dolor comparatur igni, qui inter alia sensibilia maxime cruciat. Fatetur tamen non solum hoc modo, sed etiam à vero igne alia ratione dæmones torqueri, ut infra referemus.

Hæc tamen sententia merito iam in Scholis rejicitur, Communis enim Theologorum om-

ARTIC. IV.

nium, quos infra referemus, opinio est, dæmones non solum cogitatione, sed damni, sed etiam vero igne torqueri. Ex patribus ita expresse tractant Orig. lib. 2. periarcho 6. 11. Nyssenus in disputatione de anima & resurrectione, paulo ante medium, August. lib. 9. moral. cap. 38. alias 45. & cap. 39. alias 48. ubi Gregorius plane docet, dæmones in inferno ab igne corporeo cruciari. Subdit autem in fine capitis 35. alias 50. hæc verba, Et qui unus Angelorum, atque hominum longe sit natura dissimilis: una tamen pena implicatur, quæ vni in crimine reatus ligatur. Eidem sententiæ consentit Hugo de S. Victore q. 3. in epistola Thaddæi ait, damnatos non solum reus suæ conscientia, sed etiam igne torqueri: loquitur autem de spiritibus, ut constat ex quest. 4. Adde etiam Laurentium Iustinianum in libro de Cuius commercio loquitur, Corpora concretant spiritus, non calfaciunt, sed cruciant. Adde vero, id fieri diuina virtute, eo quod ille de illo igne dixerat, non indigere solum lignorum & materiz, ob idque diuina virtute posse corpora cremare, & spiritus torquere.

Ratione vero probatur, Nam quamvis tristitia orta ex cogitatione pœnæ damni, ad pœnam sensus pertineat, ut diff. præcedenti 2. 2. monstrauimus, & ita hac solatatione possemus dæmonibus assignare pœnam damni, & sensus tamen quia Scriptura manifeste indicat, dæmones ab igne cruciari (nam aliquin ignis non diceretur paratus diabolo, & Angelis eius, & alia, quæ supra retulimus) ideo non satis est, pœnam sensus ortam ex sola cogitatione damni dæmonibus assignare: sed opus etiam est, pœnam ab igne detinendam ipsi tribuere.

CAPVT III.

Dæmones ab igne cruciari per speciem, aut cognitionem ab eo deriuatam, nonnulli docuerunt.

Iam vero Scholastici omnes, quos in hoc cap. & sequentibus referemus, in eo conueniunt, ut dæmon ab igne corporeo patitur. Verum de modo, quo ab igne torquetur, varie sentiunt. Tertio igitur sententia sit eorum, qui dicunt, cruciari dæmonem ab igne per speciem quandam, aut cognitionem ab ipso igne in eum detinendam. Ita docuit Agidius quodlib. 2. quest. 9. & quodlib. 4. q. 15. Scotus in 4. d. 44. quest. 2. §. De sensu modo, & 499. Ricardus artic. 2. quest. 3. supplementum, Gilbertus Ricardus quest. 3. art. 2. conclusionem 5. in quam sententiam refert Ocamum quodlib. 1. quest. 19. ex quibus Doctoribus Agidius, & Ricardus dixerunt, virtute dei vrentem igne ut instrumento, speciem quandam intelligibilem, quam vocant intentionalem, in Angelum deriuari, & hanc esse causam tristitiæ. Quomodo autem impressio illius speciei sit causa tristitiæ in Angelo, non eodem modo explicat Ricardus inquit, speciem illam adeo vehementer produci, ut perturbet intellectum Angelicū, & impediatur ab aliarum rerum consideratione ignis detineat: atque hoc sit Angelo molestia, & tristitiæ causa. Agidius vero ait, ex sola impressione illius speciei ideo dæmonem tristani, cum tamen nobis nulla sit causa tristitiæ species à phantas-

Algazel.
Ambros.

6.

Hieron.

Isid.

7.

Durand.

Ab Schola
resoluitur
præcedens
opinio.

smate derivata virtute intellectus agēis, quia intellectus noster possibilis, qui recipit species ab intellectu agenti ex phantasmate productas, pendet ab eo solum quoad operationem, non quoad esse: & ideo in receptione speciei producte virtute ipsius non tristatur: at vero intellectus noster, & demonis pendet à Deo non tantum quoad operationem, sed etiam quoad esse. Dolor autem, & tristitia non potest derivari in facultatem appetentem, nisi ab eo, à quo ipsa facultas pendet quoad esse: quemadmodum in sensibus molestia non derivatur, nisi à qualitatibus sensibilibus, à quibus ipsa facultas pendet quoad esse. At vero Scotus, Gabr. & Ocam dicunt, demonem ab igne torqueri, non per impressionem speciei intelligibilis, sed per impressionem cognitionis actualis, quam Deus virtute sua per ignem, tanquam per instrumentum, in Angelum derivat: ex qua impressione dicunt provenire, ut demonis intellectus ad eam cognitionem determinetur, ut velit, nolit, per eam perpetuo vehementer intelligat: ex quo etiam efficitur, ut demones tristantur, quia vellent nunc hoc, nunc illud considerare, & ut placuisset nunc ab huius obiecti, nunc ab illius consideratione cessare. Porro talem determinationem à Deo, derivatam explicant exemplo intellectus agentis, & phantasmatis, à quibus noster intellectus possibilis determinatur. Cumque concedat Scotus demones etiam cruciari per alligationem, qua detinentur in igne, inquit tamen, hoc modo explicato magis demones ab igne torqueri, quam si solum per alligationem cruciarentur ab eo: quoniam prædicto modo ignis est causa tristitiae, & doloris in demonibus dupliciter, primum in primis cognitionem sui, & per eam determinans intellectum demonis: deinde per modum obiecti, dum cogitur Angelus ipsum ignem cognoscere: & in eius cognitione manere: at per solum detentionem non tam vehementer ignis torquet demones, quia solum per modum obiecti torquet. Præterea maiorem esse cruciatum demoni ex impressione cognitionis ab igne derivata, quam ex alligatione, probat Scot. quia quanto nobilior est facultas intelligendi in Angelo, quam facultas se mouendi, tanto est maior tristitia, quæ nascitur ex vi allata facultati intelligenti ad intelligendum, quam tristitia, quæ oritur ex vi illata facultati motrici, ne moueatur angelus quo voluerit: quia hæc impedit maiorem perfectionem in Angelo quam illa. Hæc sententia quocunque modo explicata mihi non probatur. Atque in primis contra illam pugnat ratio, qua sup. d. 17 c. 3 probavi, non posse assumi à Deo ut instrumentum physicum quamcunque rem ad quemcunque effectum: sed eam duntaxat, quæ habet aliquam præuiam actionem aliquo modo conducentem ad effectum, ut ibid. explicui: ignis autem inferni non habet talem operationem præuiam ex se: ergo assumi nequit, ut instrumentum ad imprimendam speciem, aut cognitionem in intellectu Angeli. Adde, quod licet posset Deus assumere ut instrumentum ignem ad producendam speciem, tamen non posset ad producendam & infundendam in intellectu possibili notitiam & cognitionem. Secundo quia difficile videtur, per impressionem speciei intelligibilis torqueri demonem, cum species sit forma intelligibilis perficiens intellectum. Sic arguit contra

hanc opin. S. Th. 4. c. 9. con. gen. nam, quod eam recipiat Angelus à Deo medio igne tanquam instrumento non videtur sufficiens causa ullius, neque tam vehementis tristitiae, quam patitur demon: atque eadem ratio est de cognitione, si ea imprimeretur à Deo medio instrumento. Hoc dixerim propter recentiores, aliquos Thom. qui in eo constituunt totam causam tristitiae, quod demon speciem recipiat ab infima quadam natura, nempe ab igne tanquam instrumento. Sed dicunt aliqui, quorum meminit Ricard. ideo demones tristiari impressione illius speciei, quia est species quædam excellens, quemadmodum species etiam excellens in sensu solet esse causa molestiae. Ceterum, ut ipse Ricard. recte observavit in sensu potest quidem species excellens aut potius (ut ego arbitror) sensibile excellens esse causa doloris, aut molestiae, eo quod lædit sensum: species intelligibilis, quantumvis sit excellens, & excellentissimi obiecti, non potest lædere intellectum, ut patet: ac proinde nequit esse causa tristitiae: alioquin & species essentia divina (si aliqua) maxime tristitiam afferret: quod nemo diceret. Dixi autem laesionem sensus provenire potius à sensibili obiecto, quam ab specie: quia omnis laesio, quæ fit per naturalem aliquam intemperiem, fit actione physica & reali alterius qualitatatis in organo ab obiecto sensibili proveniente, quam ab specie, ut late ostendi in 2. de Ani. & Deo duce infectus in hæc. par. monstrabo. Ratio igitur ob quam D. alleg. pro hac sententia, dicitur impressionem speciei, aut notitiam illius esse causam tristitiae, est, quia cogitur Angelus in cognitione talis obiecti contra voluntatem suam perseverare: quod quamvis aliquibus difficile videatur, saltem per solum impressionem speciei: tamen id libenter concedamus, siue per impressam notitiam, siue per speciem impressam fieri posse: nihilominus non videtur sufficiens causa assignari tam vehementis tristitiae, quam patitur demon. Primum quidem si aliqua ratione esset causa tristitiae, maximæ quia ea cogitatione aliarum rerum cogitatio & consideratio in Angelo impeditur: at hoc est contra experientiam: nam demones, ut constat ex energumenis, multa alia considerant. Deinde si imprimeretur notitia ab ipso Deo, ut asseruit Scot. non posset Angelus per illam impediri, ne alia obiecta libere cogitaret: quia virtus intelligendi nihil per eam cogitationem dilataretur: cum nihil virtutis ad eam elicendam intellectus conferret, sed solum eam pateretur, & reciperet. Postremo etiam si impressio solum esset speciei intelligibilis, non posset esse tanta cogitationis intentio per illam speciem, ut aliarum rerum consideratio impediretur: nam cum intellectione eius rei, quam Angelus clare intuetur, potest sine labore plura alia considerare.

Ratio v. ob quam dicebat Agid. Angelum torqueri ab specie, quam recipit à Deo, intellectum nostrum non cruciari ab specie, quam accipit ab intellectu agenti, friuola est: nam quod substantia Angeli pendeat à Deo non est sufficiens causa, ut species impressa à Deo afferat tristitiam, nisi illa sit contraria & disconueniens Angelo: sicut contra etiam intellectus possibilis, & nos torqueremur à nostro intellectu agenti, si reciperemus speciem nobis contrariam, etiam si substantia nostri intellectus possibilis non penderet

Ratio igitur
cedentis
opinionis
refellitur.

Ratio igitur
de regitur

ab

ab intellectu agente. Quod v. sensus noster à quā-
tibus sensibilibus affici possit tristitia: non ideo
est, quia ab illis pendeat substantia eius ut ab effi-
cientibus, sed quia qualitates imprimere possunt
sensui speciem obiecti contrarij molesti & dis-
conuenientis naturæ.

CAPVT IV.

*Dæmones, & animas separatas eodem modo ab igne
torquetur, quo anima in corpore cruciatur
Henricus & Scotus putant.*

Sotus.

Quartā sententia sit Domin. de Soto in 4. d. 50. q. 1.
art. sub fin. qui docet, animas extra corpora, &
dæmones eodem modo torquetur ab igne, quo
anima in ipso corpore ab igne cruciatur: & hanc
virtutem communicatam esse igne à Deo idque
esse, quod dixit Angust. miris, veris tamen modis
dæmones ab igne torquetur, ut inf. referemus.
Vtrum a. hoc fiat derivata aliqua qualitate ab igne
in dæmones, aut animas, an alio modo, ipse non
explicat. Cum Soto convenit ex parte Henr. quod
li. 8. q. 3. 4. qui docet, dæmonem ab igne pati, quia
tenus ignis calidus est: ac proinde vera passione,
qualem sensus reciperet, dæmonem ab igne tor-
quetur. Videtur autem hic autor existimare passio-
nem, quæ dæmon ab igne torquetur, eiusdem esse
rationis cum ea, quam sensus pateretur. At Sotus
non concedit eiusdem esse rationis dolorem, &
passionem animæ, seu dæmonis, & sensus corpo-
rei: sed animam separatam, & dæmonem eodem
modo torquetur, quo anima in corpore cruciatur
non passione pœna corporea, sed quadam alia
à corpore derivata. Addit præterea Henricus &
in hoc forsā à Soto differt, illam passionem dæ-
monis ab igne derivari virtute propria ipsius
ignis: cum tamen Sot. virtute Dei igni commu-
nicata, à quo ignis assumitur ut instrumentum, id
fieri doceat: iungit tamen Henr. virtutem ali-
quam communicari dæmoni à Deo, ut capax sit
doloris & cruciatus, qui ab igne in ipsum deriva-
tur. Itaque uterque in pœna dæmonum agnoscit

*Non pl^{us}
precedens
opinio.*

virtutem Dei supernaturalem: sed Sot. eam con-
cedit ex parte ignis Henr. a. ex parte dæmonis. Hæc
opinio utroque modo explicata mihi non pro-
batur. Primum quidem ut explicatur à Soto hac
ratione refelli potest. Tristitia, quam patitur dæ-
mon ab igne, est actus quidam voluntatis in dis-
plicentia quadam consistens: quare circa aliquod
obiectum malum & disconueniens versari debet:
ergo aut habet pro obiecto qualitatem aliquam
ab igne in ipsum dæmonem derivatam, aut habet
ipsum ignem. Primum non potest habere quali-
tatem ab igne in ipsum dæmonem derivatam:
nam præterquam quod talis qualitas commenti-
tia est, ut c. seq. ostendemus: tristitia dæmonis, &
animæ separatæ non esset eiusdem rationis cum
tristitia animæ coniunctæ corpori. Nam tristitia
animæ coniunctæ, quam patitur ab igne per ta-
ctum corporis, quando corpus comburitur, ha-
bet pro obiecto qualitatem quamdam corporeā,
quam vocat dolorificam, impressam ipsi corpori:
vel certe ut alijs placet diuisionem continui (quod
mihi non probatur) ex quibus provenit species,
& dolor in sensu tactus, & inde in appetitum sen-
tientem, & inde in voluntatem derivatur: quali-
tas a. impressa Angelo, aut animæ separatæ alte-

ARTIC. IV.

rius esset rationis: esset enim spiritualis: ergo etiā
tristitia, & dolor de illa diuersus esset à tristitia
quam anima in corpore ex igne patitur.

Deinde si tristitia dæmonis, & animæ separatæ
haberetur pro obiecto ipsum ignem apprehensum
ut malum, & sibi disconuenientē, non esset eius-
dem rationis cum tristitia animæ in corpore, dum
ab igne comburitur: nam tristitia animæ in corpore
non est ab ipso igne apprehensa ut malo discon-
ueniente: sed, ut dixi, de qualitate ab igne deri-
uatam derivata: nam tristitia de aliquo extrinseco
malo alterius rationis est, quam de qualitate, &
alteratione intrinseca ab extrinseco agente deri-
uata. Possent quidem animæ separatæ nihil adate-
cipiens ab igne, tantum ex memoria doloris, quæ
ab igne per tactum passa esset, cruciari: & tunc
pro obiecto non haberetur ignem, sed qualitates,
& passionem ab igne derivatam in corpus, cuius
retineret memoriam: dæmon, qui nunquam in
corpore expertus est, nec experiri potest tale ge-
nus tristitiæ, & doloris, non potest memoriam illius
torquetur: nihilominus anima separatæ ab igne in-
ferni torquetur, sed ex sola memoria doloris, à quo
in corpore passa est, cruciatur: veluti qui esset
iuxta ignem, & ab eo non combureretur, sed re-
cordaretur, se fuisse ab alio igne combustum, &
apprehensione præteritæ combustionis militaretur:
non diceretur ab igne præfenti, sed ab absenti &
præterito torquetur. Deinde eam sententiam vrb
Henr. defendit, facilius potest impugari. Pri-
mum, ut notat Scotus & Durand. loco inferius
citando, contra Henr. aut virtus illa, quæ datur
spiritui, ut possit ab igne pati, est corporea aut
spiritualis. Si spiritualis, non potest aliquid reci-
pere, & dæmonem facere idoneum subiectum, ut
ab igne corporeo patitur: nam si substantia ipsa
angeli, qui spiritualis est, ex se capax non erat, ut
ab igne corporeo pateretur, non poterit per qua-
litatem etiam spirituale idonea reddi, ut ab eo-
dem igne patitur: qualitas vero illa corporea esse
non potest: quia in substantia spirituali corporea
qualitas recipi nequit, ut manifestum est: ergo
talis qualitas omnino commentitia est. Præterea
etiam si concedamus, substantiam Angeli esse ca-
pacem ex se, aut saltem per qualitatem à Deo co-
municatam capacem effici, ut igitur patitur nihilominus
tristitia illius, & animæ separatæ derivata
ab igne, non potest esse eadem cum ea, quam ha-
bet anima coniuncta corpori, quando ab igne cor-
pus crematur. Nam vel obiectum huius tristitiæ
esset ipse ignis, vel aliquid ab igne derivatum. Si
esset ipse ignis, tristitia non esset eiusdem ratio-
nis, ut supra contra Scotum demonstravimus. Si
autem esset aliquid ab igne derivatum in substan-
tia Angeli: vel illud esset spirituale, vel corporeum.
Si dicas esse spirituale, præterquam quod id de-
fendi non potest (quia ab agente corporeo pro-
pria virtute non potest effectus spiritualis deri-
vari) dolor tristitia de illo non esset eiusdem ra-
tionis, cum tristitia, quam habet anima in corpore
quando ab igne corpus comburitur: quia tristitia
animæ in corpore ex combustionem ignis est de
aliquo corpore, nempe de intemperie, aut diu-
sione continui, aut qualitate sensibili, quæ dolo-
rificam vocant: tristitia a. dæmonis eo modo esset
de qualitate aliqua spirituali. Si v. id quod deriva-
retur ab igne in spiritum, esset corporeum, patitur
dolor

dolor non esset eiusdem rationis cum dolore animæ in corpore ex combustione: nam dolor animæ in corpore ex combustione, est de qualitate aliqua sensibili: qualitas autem corporea impressa dæmoni non esset sensibilis: ergo dolor de illa non esset eiusdem rationis cum tristitia animæ ex combustione.

Responsio
aliquorum
regitur.

At dicat aliquis, eleuari quidem voluntatem dæmonis, ut tristetur de qualitate illa sensibili, quæ nascitur ex combustione, & illam percipiat, ac si esset in corpore. Verum hoc facile confutari potest. Nam nulla facultas appetens, aut cognoscens, eleuari potest ad operandum circa obiectū aliquod, quod intra latitudinem proprii aliquo modo non continetur: veluti oculus ad audiendum, & auris ad videndum, & intellectus ad sentiendum eleuari nequit: alioquin & quævis res eleuari posset ad quodvis genus operationis vitæ: quod est absurdum. Quod vero intellectus creatus eleuetur ad videndum clare Deum, est, quia Deus intra latitudinem obiecti intellectus creati aliquo modo continetur: nam & naturaliter Deus cognosci potest ab intellectu creato, saltem non proprio conceptu, nec quiditatio: & ideo ex vno genere cognitionis circa idem obiectum, ad aliud genus perfectius eleuari potest: id tamen quod nullo modo continetur sub obiecto alicuius facultatis, non potest facultas eleuari: sic eodem modo facultas appetens eleuari non potest ad operandum circa id: quod aliquo modo intra analogiam & latitudinem obiecti sui non continetur. Cum igitur dolor, qui est in voluntate animæ coniuncta cum corpore ex combustione corporis ab igne, hoc modo fiat ut primum afficiatur ipse tactus molesta quadam cognitione qualitatibus illius, quæ doloriferam vocamus, ut probabilior opinio fert, aut intemperiei, aut diuisionis continui, ut alij existimant: deinde appetitus animalis tristetur de eodem obiecto tanquam disconuenienti: postremo voluntas dolore, & tristitia de eadem, eo afficiatur per sympathiam quandam: efficitur, dæmonem non posse hoc modo torqueri quacunque qualitate ab igne in ipsum derivata.

CAPVT V.

Dæmonem pati ab igne per qualitatem ab igne derivatam, recentiores affirmant.

20. **Q**uinta sententia est recentiorum qui autem, qualitatem quandam ab igne virtute Dei ventis ipso ut instrumento in dæmonem derivari, & ab ea dæmonem pati, & de ea tristari: non quidem eodem genere tristitiæ, quo tristatur anima coniuncta corpori, cum ab igne corpus crematur: sed quia videt dæmon, se ea qualitate sibi minime conuenienti, & contraria quasi maculatum, turpem, & deformem: sicut corpus animalis per intemperiem, vel qualitatem illam doloriferam male se habet. Hanc sententiam indicat *Albertus in 4. d. 44. a. 20. ad ult.* quamvis existimet probabiliorē primā, quam supra cap. i. retulimus. Eandem quoque opinionem tribuunt recentiores Durando, ut aliquem ex Scholasticis antiquioribus habeant patronum: cum tamen *Durandus in 4. distinct. 44. q. vii. num. 15.* eam solum tanquam aliorum referat, & ex professo impugnet. Confirmari autem potest testimonijs Patrum & Scri-

pturæ cap. 2. huius disputationis, quibus dicitur, dæmones ab igne cremari, & cruciari: quod nullo alio modo commode videtur intelligi posse, quā hoc, quem hæc opinio defendit, ut inductione constat ex ijs, quæ supra alias sententias diximus. Sed præsertim autoritate, & verbis *Gregor. 4. dialog. cap. 29.* comprobari potest: inquit enim, animam pati incendium ignis, non tantum videndo, sed etiam experiendo. Adde etiam loca Scripturæ, in quibus hoc genus tormenti explicatur *Luc. 16.* anima diuitis dicebat. *Quia crucior in hac flamma:* *Apocal. 20.* dicitur bestiam, & Pseudoprophetas cruciandos die ac nocte in stagno ignis.

Hæc sententia eo plausibilior in Scholis visa est, quo magis sensum sequuta videtur. Cum enim ea quæ sensu experimur, facilius intelligamus: & noster modus intelligendi communiter sensum maxime ducatur: simul atque audimus, spiritum ab igne torqueri, tristitiam eius instar corporei doloris concipimus. Si tamen in hac re spiritali deseramus sensum, & sola ratione ducti, ut oportet Philosophemur: prædictam opinionem non minus, quam alias, difficile iudicabimus, omnia vero ratione Durandi quæstilla citata num. 16. satis superque à nobis explicata disput. 177. cap. 3. quæ prædictam sententiam efficaciter ille confutat, quia videlicet quævis res mundi non potest assumi a Deo ut physicum instrumentum, nisi habeat præuiam operationem, qualem non habet ignis in spiritum: alia ratione huic materiæ propria refelli potest. Supponendum autem in primis est, dolorem & tristitiam ortam in nobis ex sensu tactus, vel esse ipsam cognitionem tactus, quæ percipitur qualitas disconueniens: vel esse fugam appetitus, & voluntatis derivatam ex illa cognitione tactus, quæ percipitur qualitas disconueniens: hoc enim aut illo modo de dolore loqui, non magna rerum, sed parua vocum dissensio est, dummodo fateamur illius qualitatis contrariæ esse cognitionem in tactu, & fugam seu displicentiam in appetitu & voluntate. Hoc supposito facile ostenditur, non posse esse fugam & displicentiam in voluntate Angelis provenientem ex impressione alicuius qualitatis ab igne derivatæ: nam si in nobis aliqua tristitia oritur ex impressione alicuius extraneæ qualitatis: ea solum contingit, quia extranea illa qualitas est contra naturalem temperiem debitam nostræ naturæ: aut quia aliquo pacto deformes nos efficit. Priori modo non solum efficitur tristitia in voluntate media solum cogitatione & apprehensione intellectus: sed etiam natura prouidit in sensu facultatem, ut disconuenientem illam qualitatem, quam doloriferam vocant, percipiamus, & inde in appetitum, & in voluntatem eo modo, quo diximus deriuetur. Posteriori vero modo contingit tristitia solum in voluntate, aut appetitu absque eo, quod sensu externo tactus qualitas illa percipitur, ex eo solum quod quis per tam qualitatem deformem se considerans tristatur, veluti si quis videret se maculari aliqua qualitate, quæ turpis efficeretur, doleret sane, & tristaretur: neutro autem modo tristari potest dæmon de qualitate sibi ab igne impressa. Et quidem priori modo dæmonem non tristari, aduersarij ingenue fatentur, & ratione ipsa convincitur: quia nulla qualitas imprimi potest Angelo contrariaturam illius constitutionem ad corruptionem aliquam disponens, ut constat. Sed

neque

Gregor.

Luc. 16.

Apoc. 20.

21.

Opinio recentiorum impugna-

22.

Albert.

Durand.

neque posteriori modo tritari potest: tum quia nulla potest excogitari ratio ob quam qualitate aliqua impressa demon efficiatur deformis, nisi ut præsentem difficultatem effugiamus: tum etiam quia si ut nulla qualitas esse potest alicui contraria disponens ad eius corruptionem, nisi quæ tollat aliquam qualitatem necessariam ad conservationem ipsius; sic etiam non potest aliqua esse alicui causa deformitatis, nisi quæ tollat qualitatē aut substantiam necessariam ad illius pulchritudinem: si enim integre reliquit omnia necessaria ad pulchritudinem, integra manebit pulchritudo, & nulla erit deformitas: atqui nulla qualitas Angelo inprimi potest à Deo, quæ tollat aliquid necessarium ad eius pulchritudinem: ergo nulla huiusmodi qualitate reddi potest deformis. Adde, quod cum qualitas illa infundatur à Deo supernaturaliter, & nulli creatæ naturæ possit esse naturalis ex principiis ipsius naturaliter requisita: sequitur, esse supernaturalem secundū substantiam iuxta ea, quæ diximus disp. 2. 13. c. 2. nam qualitas, aut modus, qui nulli naturæ naturalis esse potest, supernaturalis est secundum suam naturam & substantiam: qua ergo ratione fieri poterit, ut Angelus deformis reddatur qualitate supernaturaliter infusa, & secundum suam substantiam supernaturalem? imo vero si talis aliqua esset, potius ad pulchritudinem Angeli pertineret. Ad testimonia vero Patrum, & Scripturæ, quæ pro hac sententia allegauimus, vnicuique verbo respondetur, demones quidem ab igne torqueri, ut supra etiā c. 1. & 2. contra primam & secundam sententiam ostendimus: tamen non cruciari eodem modo, quo hæc sententia contendit, sed alio faciliiori, quem c. seq. ex sententiā S. Thomæ explicabimus.

CAPVT VI.

Dæmones occulto quodam modo, & per alligationem ab igne torqueri probabilius sententia est.

Multo facilior, & apud Thomistas communior sententia est, quam non pauci ex antiquis Theologis tradiderunt, nempe demones ab igne torqueri per alligationem, quam contra suam voluntatem patiuntur, & à qua non possunt se ipsos liberare. Hanc opinionem sequutus est S. Th. in hoc art. in solutione tertia clarissime tamen contra gentes c. 90. & Ferrariensis, ibi. Bona. in. 4. d. 44. p. 2. art. 3. q. 2. tam etsi ibidem alium modum cruciatus angelis assignet, nempe ut refugiant calorem ignis, quamuis nocere non possit, & trepidant timore ubi non est timor: idque fieri ex diuina omnipotentia: quo pacto incidere videtur in opinionem, cā nobis impugnata. In eadem sententia, de alligatione, fuerunt Scotus, & Gabriel locis allegatis, quamvis alium etiam modum torquendi igni assignent, de quo capite 3. dictum est. Idem senserunt Durandus in 4. d. 44. q. vi. Palud. questione 7. in quinta opinione. Maior questione 6. nec aliud videtur voluisse Hugo de Sancto Victore in questione quarta in Epistolam ad Thessalonicenses, cum ait spiritus ab igne, etiam si ab illo non contingantur: nam fieri non potest, ut aliquis ab aliquo corpore patiat, nihil ab eo recipiens (quod est ab eo non contingi) nisi per alligationem.

ARTIC. IV.

Hæc opinio nullo alio meliori fundamento confirmari debet, quam quia nullus alius videtur superesse modus, quo torquantur demones per ignem, præter enumeratos: ex quibus nullus est, qui multas non habeat difficultates, ut hæcenus vidimus: hic autem nullus videtur habere. Ergo quando alius nobis non constat reuelatione Dei (aliter enim constare non potest.) hoc pacto licebit nobis penam, quanti demones patiuntur ab igne, explicare. Porro hoc modo facile defendere possumus duo, quæ necessario alterendum sunt. Vnum est, æquale non esse penam ignis in omnibus demonibus, nam virtute Dei fieri potest, ut vnus vehementius quam alius torquetur. Alterum vero est, demones, qui in hoc ætate manserunt, non minus cruciari ab igne, quam si in ipso igne essent, ut ait Sanctus Thomas in solutione tertia, nempe per hoc, quod apprehendant, se destinatos esse, ut igni sint perpetuo alligati: quam quidem apprehensionem potest Deus admittere Dæmoni adeo efficacem, ut non minus crucietur, quam cum se videat posita in ipso igne derentum. Qua etiam ratione alterendum est, penam horum demonum non esse augendam post diem iudicii: cuius oppositum falso indicare videtur Caietanus in illud. Petri. 2. Si enim Deus Angelos peccantibus non peperit, &c. Verum hæc sententiam defendere debemus, ut non negemus, demones alio modo ab igne cruciari, quam per alligationem: sed solum asseramus alium modum cruciatus nobis plane esse ignotum: & cum Augustino loco citato in secundo capite dicamus, miris, veris tamen modis, hoc est, veris modis, nobis tamen ignotis, demones ab igne torqueri: nam ex his modis cruciatus, quos hæcenus enumerauimus, nullus abique vilo incommodo defendi potest: & ita satis erit, nostrum hac re fateri ignorantiam, quā abique firmo fundamento aliquid affirmare. De animabus separatim dubitandum non est, eas etiam alio modo ab igne torqueri, quam per alligationem: & modum talis cruciatus nobis esse manifestum, quando corpori coniunctæ sunt, & corpus igne crematur, non solum patiuntur per alligationem, sed per dolosissimam etiam qualitatem immixtam sensibili tactus, & ab eis cognitam, ex cuius cognitione deriuatur in appetitum sentientem, & in ipsam voluntatem tristitia, quam & dolorem vocamus. Hoc igitur eodem doloris genere ex apprehensione illius qualitatis doloriferæ, quæ dolorem gignit in tactu, torquentur animæ separatæ: nam antea quam corpus ab igne comburatur actus potest Deus tale genus apprehensionis non minus efficaciter animæ separatæ immittere, quam si ignis præsens corpus cremaret: hoc autem existimo necessario alterendum, ne cogamur concedere, penam sensus ab igne deriuatam angelis in animabus post vniōnem cum corpore. Ceterum hoc genus cruciatus Angelo conuenire non potest, siue absente igne, siue præsentem, licet necesse ei conuenire potest, ex quo hoc genus doloris necessario deriuatur. Conueniunt igitur animæ separatæ, & demones in eo, ut non tantum per alligationem, sed etiam alio modo ab igne crucientur. Differunt tamen, quia modus, quo præter alligationem demones patiuntur, ignotus nobis est: modus autem, quo animæ torquentur, satis est manifestus.

Postremo

DISPVT. CCXLIV.

Postremo addendum est, quamvis elementum ignis aptissimum sit ad cruciandas animas, quia natura sua efficacissimum est in corpora: eaque vehementius, quam aliud elementum cruciat: ex cruciatu autem corporis tristitia, & dolor in animam deriuatur: tamen nullam nobis suppetere rationem ad probandum, aptius elementum esse naturam suam ad cruciandum demones, quam sit quodcumque aliud elementum: tum quia ratione alligationis æqua esset ratio aliorum, vt constat. Tum quia alius modus quo ab igne demones torquentur, nobis ignotus est. Deus autem iure optimo hoc elementum præcipue supplicio demonum præparauit: cum futurum quoque esset animabus damnatorum causa tormenti.

Hactenus non solum elucidauimus, quæ docet S. Th. in hac 1. p. a. q. 50. vsque ad 64. sed etiam ea, quæ tractat infra a qu. 106. vsque 112. nam quæ disputat de illuminatione q. 106. 108. 109. 111. & de illuminatione, qua homines ab Angelis illuminantur, & de virtute Angelorum supra creaturam corpoream, satis superque examinauimus disput. 215. 216. 217. quæ S. Doctor tractat de locutione Angelorum q. 107. tractauimus ex professo disp. 211. & 213. solum restat, vt de missione, & custodia Angelorum, & de oppugnatione demonum aliqua dicamus, de quibus disserit S. Th. infra q. 112. 113. 114.

DISPVT. CCXLIV.

Quinam Angeli in ministerium hominum mittantur.

Due opposita sententia. cap. 1.

Iudicium de vtriusque opinione. cap. 2.

CAPVT I.

Due opposita sententia.

Ex his omnibus, quæ hactenus à nobis dicta sunt, perspicuum fit, duas esse classes Angelorum: alteram bonorum, quæ Deo per visum clarum, & charitatem perpetuo adheret, alteram malorum, quæ æternis cruciatibus inferni addicta est. Ex quibus duæ aliæ diuise sunt, altera malorum, quos permittit Deus hominum salutem infideliari: altera bonorum, quos tutelares nobis constituit, vt non solum contra insidias demonum salutem nostram spiritualem tuerentur, sed ab alijs etiam malis humanum genus incolumem seruant. De bonorum igitur custodia, & malorum oppugnatione hoc postremo loco nobis dissendendum est, de quibus disputat S. Th. qu. 112. 113. & 114. Quo fiet, vt omnia quæ ipse notat à q. 50. vsque ad 64. & à qu. 106. vsque ad 114. his nostris commentarijs & disputationibus elucidemus.

Ceterum vt de custodia Angelorum in disputatione seq. agamus, in præsentem explicandam est, quinam Angeli in ministerium hominum è cælis ad nos mittantur? de quo agit S. Doctor q. illa 112. est autem in primis certum apud omnes Angelos quandoque ad homines mitti. Id enim testatur scriptura Exod. 23. Ecce ego mittam Angelum meum qui præcedat te, & Luc. 1. Missus est Angelus Gabriel à Deo. Act. 12. Nunc scio vere, quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis. Ex Pa-
Vsq. in 1. p. rom. 2.

CAP. I.

733

tribus vero id ex professo docent tanquã certum Dionys. 13. c. de celesti hierat. & Gregor. libro 2. moral. cap. 3. & Hom. 24. in Euang. & alij plerique obiter idque vt notissimum supponunt cum S. Th. infra q. 112. artic. 1. Probat autem S. Thomas in eo a. r. quia, vt docuit ipse supra q. 43. art. 1. ille dicitur ab alio mitti, qui ab alio procedit aliquo modo, vt incipiat alicubi esse, vbi antea non erat, vel vbi prius erat alio modo: Angelus autem hoc modo procedit à Deo: nam, cum sit in cælo, venit ad nos: & hoc nutu & iussu Dei, qui hæc omnia inferiora gubernat, quod est à Deo procedere: ergo mittitur etiam à Deo. Dilectum autem intermissionem Angelorum à Deo, & vnus diuinæ personæ ab altera, manifeste colligitur ex dictis disp. 170. nam missio vnus diuinæ personæ ab altera, est processio ab ea, non secundum imperium, sed secundum substantiam, connotato respectu noui modi præsentia in loco, vt ibidem exposuimus: processio autem Angeli est secundum imperium, de quo non est dubitandum.

Verum inter doctores in controuersia positum est, vtum Angeli omnes mittantur, etiam supremæ hierarchiæ, in qua Seraphin, Cherubin, & Troni recensentur, an non? Theologi nonnulli arbitrati sunt, ordinaria quidem lege Angelos ex inferioribus ordinibus solum ad nos mitti, & extraordinaria lege aliquando etiam mitti ex supremæ hierarchiæ: imo vero ex supremo ordine supremæ hierarchiæ. Quam sententiam probabilem existimat Durand. in 2. d. 10. q. 1. Scotus q. 7. Marfilus Durand. in 2. q. 7. a. 3. in 2. p. cum asserunt, etiam supremos Angelos aliquando ad nos mitti. Eam vero recentiores Theologi multis confirmant.

Primo quia constat, Gabrielem missum fuisse ad beatam Virginem Luc. 1. & alibi etiam in scriptura: Gabriel autem fuit supremus, aut vnus de supremis Angelis, teste Bernardo hom. 1. super illud Luc. 1. Missus est, & Magistro in 2. dist. 10. quorum sententiam sequuntur Scotus in ead. q. 1. & Dur. q. 1. eis que fauere videtur Greg. Hom. 24. in Euang. cum ait, Gabrielem vnum fuisse de supremis Angelorum: neque enim per angelos intelligere videtur spiritus tantum infimi ordinis infimæ hierarchiæ, quos communi voce Angelos appellamus, sed vniuersam naturam angelicam: idque maxime conueniens videtur: nam sicut mysterium Incarnationis & Christi maximum est, ita oportebat maximum inter omnes Angelos mitti ad illud annuntiandum: nunquam autem missus est Angelus Gabriel, nisi ad Danielem, cui mysterium hoc futurum reuelauit, & ad Virginem Matrem Christi, cui iam mox faciendum nuntiari: vt idem Bernard. in eod. serm. sentit, ad Iosephum sponsum virginis, & nutrimentum eiusdem Christi, cum in somnis ipsum corroborauit Math. 1. vt acciperet Mariam coniugem suam, & denique, vt ego etiam existimo, ad ipsum Christum, cum positus in agonia Patrem orauit Luc. 22. conueniebantque, vt Gabriel, qui dicitur fortitudo Dei, vel ad corroborandum Christi humanitatem contra mortis agonem, vel ad laudandam eius fortitudinem mitteretur. Multi enim recte, & diuinis literis consentaneè existimant, Angelum delegatum ad confortandum Christum, non ad corroborandam carnis imbecillitatem, sed ad laudandam eius eximiam fortitudinem missam fuisse: idque nomine confortationis in Scriptura significari cõtendunt.

Q99

quorum